



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 197. At illi magis clamabant, crucifige eum. v. 14.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

ro: quid enim mali fecit homo, qui ante lapsum Adæ & suum ita addicitur inferno?

**O** Deus, video quod non solum tempore tuæ passionis fuerint homines, qui te innocentem addixerint cruci, sed etiam modo, sint, qui hoc præterea mali agunt quod populo persuadeant te talem esse Tyrannum, qui crucifigas & crucifigi velis eos qui nihil adhuc mali fecerunt. Et hi volunt dici Christiani. Vere peiores sunt ipso Pilato gentili.

§. 197. *At illi magis clamabant, crucifige eum. v. 14.*

Hic novum animaduerto strategema passionibus suis indulgentium fræna: nam quod ratione nequeunt efficere, clamore, turbulencia & impetu efficere conantur. Non est ipsum inuentum nostro tempore inusitatum, sed tu, Domine, in te ostendisti, quomodo talia tela vinci possint, à subditis, & simul demonstrasti, quam male Prælati & Magistratus ad talia commenta commueant, & quo perducantur, si talia inuenta sequantur.

**O** Deus, da obsecro Magistratui gratiam, & iniquis machinationibus eorum iustitia peruertatur: da etiam miseris, qui talibus opprimuntur, patientiam hic, & postea vitam æternam.

§. 198. *Pilatus autem, volens populo satisfacere, dimisit eis Barabbam. v. 15.*

Iam videtur Pilatus consensisse iniquitati. Vide anima mea, quomodo Homo qui in iustis non attendit paulatim decidat, & sensim torrente moris humani abripiatur. Hoc erat profundum illud quod in prælatione timebant semper prudentes & sancti. ne videlicet ab his quos regere debebant abriperentur uti naus à fluminis imperu. Ecce Pilatus abreptus est clamore & importunitate, verba iniquorum prævaluerunt super eum, Loquamur igitur ad cor Hierusalem ut fructus inde promanans animis nostris medeatur. Vere indignum commercium, dum latronem, mortis ministrum, vitæ datori, vitæque ipsi præferimus. Quod tamen peccando perpetramus, nunquid igitur merito, sicut Iudæis, fructus tam iniquæ petitionis nobis quoque adhæret, qua diabolus mortis Principem ut illi Barabbam, eligimus: quam tamen frequenter etiam hic error committitur, ut Barabbas Christo præferatur, quando in electionibus, officijs & promotionibus indigni dignis præponuntur; & in actionibus eligitur potius malum, quam bonum.

**E**T tu anima mea speculum hoc diuinæ bonitatis attende in quo charitatis, patientiæ, humilitatis exempla resplendent: & disce non indignari si quando indignioribus postponaris, cum Dominus Iesus, Sponsus tuus, præ participibus suis à Deo dilectus, præ nequissimis fuerit à Iudæis de-

S

spectus.